Gymnasium zu Meldorf.

Wissenschaftliche Abhandlung

des ordentlichen Lehrers C. May:

de ratione et via artis criticae quam inde ab Hofmanno Peerlkampio recentiores editores in recensendis Horatii carminibus inierint,

als Beilage zum Programm Ostern 1876.

Hannover.
Druck von W. Jürgens.
1876.

1876. Progr. № 226.

Hoc opusculum si minus politum et angustioribus quam optabam terminis circumscriptum in lucem mittitur, tribuatur, quaeso, laboribus ministerii publici per sex menses praeter exspectationem auctis qui me totum fere a studiis literarum revocaverunt. Sed indulgentiam et veniam eorum qui hoc legunt implorare quam promisso non stare malui.

Quibus auxiliis usus sim, viros doctos non effugiet; monendum videtur, me praeter editiones Horatii nobilissimas satis magnam disputationum copiam Teuffelii A. Mülleri Spengeli Schwenkii Kirchneri aliorum inspexisse, quae in annalibus literarum variis et libellis scholarum inveniuntur. —

In legendis et cognoscendis veterum literis, multis, si temporum iniquitatem, paucis, si nostrum studium et desiderium respicimus, non omnium quae nobis relicta habemus operum parem curam studium officium fuisse intelligimus, quae librorum tractandorum et aestimandorum diversitas persaepe non ex ea quae singulis re vera tribuenda est virtute, sed ex aliis et sane remotis causis ducenda videtur. tantum enim abest, ut hominum de scriptorum ingenio et indole iudicium semper ad pulchritudinem artem elegantiam tantum revocetur ut persaepe quae auctoris fuerit vitae condicio quae aetatis sentiendi et vivendi ratio quomodo suis quisque aequalibus blanditus sit et cum eorum studiis voluntatibusque consenserit, haec omnia plus valeant ad poetae vel scriptoris auctoritatem et gloriam parandam quam ipsa virtus. — Ita factum ut veterum alii haud sciamus quo pacto summam assecuti sint auctoritatem, alii vix oblivionem fugerint. — Atque hoc maxime contigit Horatio, cuius poetae non minus indoles poetica quam honestatis ac virtutis vis propria esse videtur. Iam inde ab antiquissimis temporibus et laudatores summos et obtrectatores infestissimos invenit. Unde originem duxisse quis est qui nesciat illa hoc tempore crebra eorum studia, qui Horatium ab accusatoribus defendendum sibi proposuerunt [1]). Et sane dicere licet, hoc varium de Horatio iudicium multum valuisse ad ingens illius et apud veteres et apud nostrates studium legendi propagandum; quamquam summam huius rei causam in ipsa poetae virtute arteque positam esse, vix quisquam negaverit.

Iam vero videamus quae apud veteres fuerint Horatianorum librorum fata quaeque Horatii ipsius auctoritas. — Non potuit fieri, quin princeps fidicen lyrae Romanae atque praeter Catullum magni quidem ingenii sed paucorum versuum poetam unus summa apud aequales floreret auctoritate, cum omnes qui imbuti erant literis Graecis quantopere Graeci superarent carminibus componendis Romanos vehementer necessario dolerent. Accedit, quod ipse Augustus Maecenas amplissimus quisque Horatio favebat [2]), qui principem celebrare, praesentem rei publicae statum probare aequalibus, Musae Romanae novum et usque ad id tempus Graecorum proprium studiorum campum aperiret; postquam Horatius Graecae poeseos formis Romano ingenio novam quasi vitam et animam dare instituit, in dies illud: „Graecia capta ferum victorem cepit" minus valere coepit, quod quantopere ex sententia dictum sit Romanorum, satis apparet. His de causis et quod Horatius carminibus patriae amorem excitavit, modestiam iustitiam commendavit vitia risui et ludibrio habuit nullius libri videbantur digniores et aptiores qui in ludis tractarentur quam Horatii. Quis igitur mirabitur, quod eius poetae, qui Quinctiliano auctore lyricorum fere solus

---

[1]) cfr. Lessing, Rettungen des Horaz. Reichert, de Horatii obtrectatoribus.
[2]) Sat. II. 1, 75. Epp. I. 17, 35.

dignus erat qui legeretur[1]) et praeter Vergilium et Terentium Suetonio teste in scholis legebatur et a grammaticis qui emendabant, distinguebant, annotabant velut Probo, notis instruebatur — quod eius poetae permulta exstiterunt exempla et poetae lyraeque amicorum et magistrorum discipulorumque. Iam vero cum consideramus, qui tum fuerit scribendi modus celeritas levitas, per se patet, inde ab antiquissimis temporibus grammaticorum cura ad emendandos mendosos libros opus fuisse, e quo numero fuit Probus, qui Suetonio auctore Vergilio Horatio Terentio tales adscripsit notas, quales Aristarchus Homero, et saeculo sexto Mavortius Horatio addebant. Exstiterunt quoque grammatici, qui Horatio explicando operam dabant sed hoc potissimum agebant, ut locos similes ex aliis auctoribus sumptos colligerent, personas et nomina Horatiana interpretarentur, textum quam rectissimum redderent; qui commentarii cuius generis fuerint apparet duobus illis, qui Porphyrionis et Acronis nomina prae se ferunt; quorum alter Pomponius Porphyrio inde a ducentesimo p. Chr. n. anno usque ad ducentesimum quinquagesimum vixisse et scholia logicam rhetoricam grammaticam respicientia, cum ipse Africanus esset, in Africanorum usum scripsisse fertur; alterum Acronem non eorum, quae sub eius titulo feruntur, scholiorum auctorem fuisse manifestissimum est, cum in iis ipsis Acro quidam optimorum interpretatorum numero adscribatur; vel potius constare videtur, illa Acroniana scholia duabus partibus composita esse, quorum altera ineunte, altera exeunte quinto p. Chr. n. saeculo incertis auctoribus orta est. —

Atque hoc loco, quoniam scholiorum mentio facta est, e re esse videtur, nonnulla de codicibus adnotare priusquam quid medio aevo contigerit Horatio perlustremus. Magni codicum numeri, quos fere ducentos habemus, longe minorem partem aliquid valere ad quaestiones criticas satis apparet. Eorum autem, quos momenti alicuius esse homines docti consentiunt, tres quasi familiae distinguendae videntur. Primae familiae sunt ii codices, qui quodam modo originem ducunt ex illo a Mavortio emendato libro; quorum numero Leidensis, quo Bentleius usus est, Parisinus (λ) 7982 saeculi decimi, adscribendi sunt; alterius familiae quasi fons et origo est codex Blandinius vetustissimus (γ) qui quanti momenti fuerit, quamquam ipse combustus est, cognosci licet Crucquii cura[2]), qui editionis suae Horatianae fundamentum posuit in illo codice; eum secuti sunt codd. Gothan. saec. XV et Turicensis (contaminatus); tertia denique familia derivata est ex cod. Bernensi (B) 363, qui saeculo VIII vel IX in Scotia scriptus dicitur et hac re potissimum ab aliis differt, quod plane alium carminum ordinem sequitur; eius stirpis sunt Argentoratensis saec. X. Lipsiensis eiusdem saec. Dessav. I. saec. IX; alii. Quod si iam quaeritur, quaenam inter illas tres familias sit quasi cognatio et quam potissimum rationem sequi debeamus in iis adhibendis, primum, cum constet, omnes Horatii libros inter se consentire nonnullis vitiis, qualia ut paucis utar exemplis sunt carm. I, 23, 6 „veris“ II, 17, 25 „cum“ (Lachmannus Hauptius alii „cui“) omnes codices ex uno antiquissimo originem duxisse verisimillimum est, qui archetypus non potest non posteriore tempore scriptus esse quam quarto saeculo. Ex illo archetypo duo derivati sunt codices A^1 A^2, quorum alter quasi pater est codicis Blandinii qui saepe solus verum et rectum sensum praebet, alter fons est omnium ceterorum codicum; qui cum vitiis saepe non consentiant, variis temporibus et aliis fortasse codicibus interiectis ex illo deduci possunt. Hinc duae aliae familiae et Leidensis Parisinique 7972 (Mavortianorum) et Bernensis (B. 363) quique eum sequuntur. — Quae cum ita sint, Blandinium potissimum respicere debemus cuius quae fuerint lectiones intelligimus Crucquii auxilio cui Bergkio quidem uno negante ceteris viris doctis affirmantibus, fides tribuenda est; quoniam rarissime accidit, ut alii codices rectum, Blandinius falsum praebeat

[1]) Quinct. I. O. X, 1, 96 nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et variis figuris et verbis felicissime audax.

[2]) Notandum videtur hoc loco, Crucquium non unum sed quattnor adhibuisse codices Blandinios unde haud raro oriuntur errores (cfr. Bergk., Philol. XIV, 389. Ann. phil. 83, 861).

sensum; omnium trium autem familiarum si lectiones sensum aptum non habeant vel linguae et usui non respondeant, coniciendo medicina erit afferenda. —

Iam vero cum explicaverimus, quorum beneficio et cura hanc habeamus librorum copiam, hac ipsa quaestione revocabimur ad eam rem, ex qua ad hanc de codicibus commentationem egressi sumus, inquirendam. —

Perpetuis bellis et discordiis domesticis, quae Romae imperatorum temporibus animos turbare et depravare solebant, cum deesset otium illud literis tam necessarium, in dies magis defuerunt, qui eas artes quae ad humanitatem pertinere proprie dicuntur, studio et amore amplecterentur. Quod studium plane exstinctum videbatur in ea urbe, in qua ad id tempus literarum domicilium fuerat, cum barbari et Italiam et Romam peterent occuparent everterent. Unum refugium exstitit literis caede bellis tumultu expulsis ex urbibus, cum monasteria quae dicuntur otium darent viris literarum studio operam daturis. Quamquam negari non potest, illa clericorum studia plerumque id spectasse ut quam plurima possent librorum veterum exempla manuscripta exhiberent vel apparatum criticum colligerent. Hinc cum multi alii tum tot Horatii codices. —

Ii qui inde a saeculo millesimo quarto Petrarca auctore libris tam diu temporum iniquitate neglectis operam dederunt, hac in re potissimum quasi fundamentum ponebant, ut quae in libris manu scriptis tradita inessent quam dilucidissime explicarent et notis scholiastarum summa cum industria collectis inspectis inter sese comparatis, quantam quisque haberet historiae et grammaticae et antiquitatum scientiam, eam adhiberet ad illustrandos veteres auctores; his in rebus summa posita videbatur doctrina. Iam vero cum singulorum vocabulorum quae notio quaeque coniunctio esset investigare quam totius vel carminis vel libri qui esset sensus inquirere mallent, cum, ut brevi dicam, si non omne at praecipuum studium ponerent in linguae ratione et elegantia perdiscenda, accidit ut permulti eique magni componerentur libri quibus inerant doctissimae quidem sermonis commentationes et flosculi rerum undique collecti sed deerat plerumque de auctoris ingenio arte sententia quaestio. Suae quisque doctrinae in explicandis auctoribus maiorem vim quam iudicio et elegantiae tribuebat. In Horatio quidem hanc institutam explicandi rationem, ut duos eosque gravissimos viros commemorem, amplexi et persecuti sunt Crucquius et Lambinus, quorum prior propterea optime de Horatio meritus est, quod non solum quae invenit scholia nobis tradidit sed etiam vetustissimis codicibus accurate et prudenter usus est.

Aliter de Horatio sentire eumque explicare, cum primum eum attigit, instituit B e n t l e i u s; is qui princeps et auctor recentis veterum explicandorum et emendandorum rationis cum de cunctis fere temporis benignitate nobis relictis libris tum de Horatio optime meritus est, palmam criticam non modo postremi sed etiam praesentis saeculi consensu habet. Iam videamus, quibus potissimum rationibus ab iis, qui praecedunt, viris doctis differat, quasqua leges secutus sit, qua sit summa eius viae et rationis. Poetarum studia cum pro fonte et principio omnium laborum haberet et pro fine, ad quem omnia revocaret, non potuit, quin quoniam illa ratione ductus non modo antiquitatem mente concipiebat et scriptis explicabat sed etiam cum dicendi tum sentiendi rationem poetarum penitus cognoverat, antiquitatis studium commendaret aequalibus et accenderet. Qui eorum, qui antea interpretati erant Horatium, fuissent errores magno ingenii acumine intellexit; primum reprehendit eos, quod apparatum criticum sine ullo temporis pretii auctorum discrimine adhibuissent; tum quod doctrinae et rebus undique congestis atque in memoria coacervatis nimiam tribuissent vim; deinde quod obscuros versus doctis et remotis et ipsis obscuris nominibus velut parenthesi hypallage synthesi explicare quam vel interpretando vel corrigendo ad mentem et intelligentiam hominum accomodare maluissent. Quod denique adferebat ingenii acumen ad illustrandos veteres id ab aequalibus quoque exerceri voluit ut ipse ad carm. I, XXII, 4. „Sed

eo tantum haec notamus ut acuamus eruditorum iudicia [1]).“ Bentleianae igitur quaestionis summa haec est: nulla vel parva rerum grammaticarum et historicarum et ad antiquitates pertinentium ratione habita tantum quae fuerit poetae sententia indoles ars, inquirendum et secundum codicum auctoritatem textum vel constituendum vel corrigendum esse. — Quas rationes quo modo in editione sua secutus sit cum hoc loco longum sit explicare, in illis, quae infra tractabimus exempli causa, carminibus ostendere liceat. Attamen illius loci mentionem inchoaverim, in quo delendi initium fecit: carm. IV, 8, 17 quem versum nullus usque ad hoc tempus editor restituere vel ausus est vel potuit; tanta Bentleii est et auctoritas et recti quasi divinatio. —

Qui eum secuti sunt in explicando Horatio viri docti, fere omnes hac in re potissimum studiorum principium et finem posuerunt, ut quae in Horatio invenissent ea servarent et pro suo quisque ingenio explicarent, quorum nomina commemorasse sufficiat; sunt Mitscherlich [2]) Vanderbourg [3]) Gesnerus alii. Ita cum factum esset, ut iniquo temporum fato quam rationem Bentleins prosecutus erat ea non placido ac prope molli gradu procederet sed oblivioni tradi videretur, multis annis interiectis homo eruditus exstitit, qui Bentleii quidem disputationes fontem et principium se habere suae iudicandi rationis dictitabat sed nimia iudicii severitate rapiebatur ad talem cursum, qualis quin a Bentleio prorsus alienus fuerit vix quisquam dubitaverit. Denique Peerlkampius, de quo agimus, Bentleio summo critico minorem auctoritatem tribuit quam Marklandio Valkenario Guieto qui quamvis docti et ingeniosi in arte critica rationem nulli eorum qui sapiunt probatam secuti sunt.

Peerlkampius [4]) igitur, vir doctissimus, anno h. s. tricesimo quarto edidit Horatium quae editio cum in lucem prodiisset propter novam quam prae se ferebat et prioribus dissimillimam speciem et propter magnam iudicandi audaciam summa apud multos eosque spectatissimos homines florebat gloria. Iam vero erant, qui Horatium tantopere mutilatum et decurtatum aegre ferrent; qua re summum et usque ad id tempus nondum compositum discrimen exortum est eorum, qui totum Horatium quem omnibus numeris perfectum esse volunt interpolationibus poeta indignissimis repletum esse persuasum habent easque eiciendas et omnem emendationem ad iudicium elegantiam pulchritudinem referendam statuunt et eorum qui summam artis criticae legem in codicibus perspiciendis et recte adhibendis ponunt eumque, quem illi praebent, textum explicare student et Horatium poetarum summorum quidem numero adscribunt, sed rursus negant, perfectissima semper carmina cecinisse. Harum dissimillimarum rationum qui fuerint auctores quoque modo suam quisque sententiam defenderit, quae denique probanda videatur copiosius explicabimus.

Primum nostrum est, Peerlkampii ipsius emendandi rationem perlustrare et inquirere, num probanda sit necne. Qua in re Peerlkampii verba quae in epistola illa praefationis loco libro praemissa leguntur, dilucidissime illius rationem in arte critica adhibitam et- ni magnopere fallor- errores patefaciunt. Sed priusquam ad illa, quae in praefatione inveniuntur, illustranda progrediar, paucis de errore disseruerim, qui in illa quidem non commemoratur, sed tanti videtur momenti in diiudicanda tota Peerlkampii arte critica, ut praemittendus videatur universae disputationi. P. enim cum persuasum habeat Horatium egregiorum poetarum perfectissimum esse quidquid perfecto poeta indignum sit delendum esse censet; sexcentis locis versus vel carmina nonnulla delentur, quod indigna sint Horatio [5]). Quo brevius autem et ieiunius sententiae expressae sint,

---

[1]) id ipsum profitetur B. aliis locis velut Ep. 1, 1, 6; in praef. edit. Lips. pg. V.

[2]) Horat. illustr. Mitscherlich Lips. 1800.

[3]) Horat. recens. illustr. et Gallic. versibus reddidit Vanderbourg. Paris. 1812.

[4]) Hoc loco e re esse videtur monere, nobis priorem tantum editionem Peerlkampii anni 1834 in manibus fuisse.

[5]) cfr. ut paucis tantum ex numero eorum, quae suppeditant, exemplis utar notas carm. I, 2, 17; 10, 13; 12, 33; II, 15, 1. III, 17, 1. adscriptas.

eo digniores illas Horatio ei visas esse, cernitur ex illo enunuato, totius artis criticae quasi fundamento, in quo legimus: „equidem Horatium non agnosco nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda sunt, ut nihil demere possis, quin elegantiam minuas“ neglecta omnium et doctissimorum virorum sententia, qui in nullo poeseos genere ornatum quendam et copiam verborum desiderari posse atque his rebus veram illius vim et naturam inesse consentiunt. — Quod si illam Peerlkampii epistolam sequimur primum intelligimus quibus causis vir doctissimus sit adductus ad eam quam profert artis criticae rationem. Profitetur enim se quamquam per multos annos tractaverit poetam tractatumque noverit ut digitos, incidisse in permultos versus Horatianos, quos intelligere nequierit. — Consideranti autem, quae huius rei causa sit, Horatii libros sibi visos esse inquinatos non talibus vitiis, qualia omnibus ex antiquitate relictis inesse omnium hominum doctorum consensu constaret, sed interpolationibus creberrimis et antiquissimis. Illa vitia antiquo tempore nata usque ad praesentem aetatem propagata esse; his eiectis tum demum Horatii carmina redactum iri in eam, qua ipse poeta reliquerit, formam. —

Tum studet ut istam de interpolationibus opinionem quae quantopere nova sit et adhuc incognita et differat ab aliorum eorumque doctissimorum interpretandi ratione haud ignorat tueatur eamque se nobis probaturum esse duplici modo sperat: primum quod nonnullos et spectatissimos viros de interpolationibus iamiam suspicatos esse demonstrat tum quod multis causis qui fons quodque principium illarum fuerit perscrutatur et explicat; homines docti antem, quorum nomina et auctoritatem sui conatus quasi praesidium et scutum profert, sunt Marklandius, Ruhnkenius Valkenarius et quodam modo Bentleius; quibus quantum hac in re auctoritatis tribuendum sit et quo iure Peerlk. his usus sit auctoribus, infra inquiretur. —

Iam vero videamus quo modo P. has interpolationes ortas esse persuasum habeat et quibus causis aliis probaturus sit. quibus omnibus perlustratis nostram de tota arte critica Peerlkampii sententiam explanare liceat.

Plurima vitia profecta esse, contendit ex illa, quae tum una erat libros multiplicandi ratione, e scribendo; hac re quicunque vellet mutare exstinguere auctoris verbis sua immiscere potuisse; hoc modo factum esse, ut persaepe quae esset auctoris quae scribae distinguere difficillimum fuisset. Multum deinde valuisse ad corrumpendos Horatii libros quod poeta priusquam omnia carmina necessario ordine edidisset et extremam, quam nos dicimus, manum addidisset operi subito mortuus sit et illo libri in lucem producendi muneri alii functi essent; illorum autem suam quemque rationem et iudicium secutum esse; eoque licentiae deinde nonnullos progressos esse ut mutato carminum ordine ex uno longo duo et ex duobus brevibus unum fecerint carmen. — Singulorum denique vocabulorum corruptelam, quae quantopere increbuisset Ciceronianum illud; „libri mendose et scribuntur et veneunt“ significaret, originem duxisse e Romanorum dictandi more et librariorum festinatione et imperitia. Tum summa qua floreret Horatius auctoritate non modo apud populum sed etiam apud ipsum civitatis principem, non fieri potuisse quin permulta exemplaria celerrime et minus accurate scriberentur; ita multa irrepsisse vitia; accedere, quod et magistri et discipuli persaepe carmina de sententiis ex Horatio sumtis composuissent recitavissentque recitataque carminibus vere Horatianis adscripsissent, quae tum posterioribus Horatiana visa essent. Magni deinde momenti fuisse ad procreanda mendosa Horatii exemplaria multa et magna illa incendia, quibus primo et altero p. Chr. n. saeculo Roma vexata esset; quibus cum multi Horatii libri combusti essent, homines operam dedisse, ut hoc compensarent. Hinc tot et tam mendose et temere conscriptos libros. — Sed de alio interpolationum genere suspicari licere, quarum auctor quodammodo Horatius ipse haberi posset; verisimillimum enim esse, Horatium in singulis carminibus hoc vel illud correxisse vel delevisse vel adiecisse, quae cum mutationes ab iis, qui carminum exemplaria haberent, suo cuiusque libro adscriptae essent, multos inflatis sententiis et repetitis iisdem verbis contaminatos versus exortos esse. — His denique tam vario

modo et tantopere corruptis libris Mavortium sexto p. Chr. n. saeculo usum esse ad emendandum Horatium, qui vocabulorum quidem vitia correxisset, interpolationes antem ipse omnino non perspexisset et omnes, qui deinceps recensionem adhibuissent, in parem errorem adduxisset. — Hoc modo enumeratas corruptelas bona fide corrumpentium ortas esse; sed fuisse quoque, pergit P., qui Horatio per dolum operam darent; eorumque fraudulentorum hominum duplex genus fuisse et poetarum, qui sua Horatianis carminibus immiscerent ut eius nomine vanorum carminum quasi titulo et praesidio uterentur et bibliopolarum qui cum omnium studium esset quam plurimas habere Horatii odas, exemplaria alienis carminibus augeri curarent auctaque venderent.

Praeter has causas, quae ex ipsis Horatii carminibus e tempore e rerum natura deduci possunt, veterum duo testimonia affert ad explicandam et probandam suam de interpolationibus sententiam; unum illud Suetonianum „venerunt in manus meas et elegie sub eius titulo et epistola prosa oratione quasi commendantis se Maecenati; sed utraque falsa puto, nam elegi vulgares, epistola obscura, quo vitio minime tenebatur“ alterum Plinianum: „Paulus nuper ad lyrica deflexit: in quibus ita Horatium ut in illis illum alterum effingit“, quibus testimoniis quantum tribuendum sit auctoritatis infra videbimus. —

His igitur et ingeniose inventis et artificiose excogitatis et diligenter e tenebris ad lucem productis causis Peerlk. ad id abreptus est, ut suae de arte critica opinioni magis magisque indulgeret. Nam cum magna illa, quam tribuebat suo iudicio et arbitrio, auctoritas in diiudicanda orationis venustate et discernendis veris et falsis, in illa de interpolationibus doctrina campum et palaestram assecuta esset, nullum obstitit impedimentum, quominus quodcunque consideranti et interpretanti aliquam dubitationem afferret falsum haberetur et sub interpolationum titulo Horatio abrogaretur. Qua in re haud scio quae causa maiores effecerit errores; illa de carminum vitiis opinio an simulatque tam artificiose excogitata est, de interpolatianibus doctrina. —

Iam vero nostrum est demonstrare, Peerlkampium re vera in eos errores, quorum modo mentionem fecimus, incidisse: Ac primum quidem impugnanda erit illa Peerlkampii opinio, multa inesse in Horatii libris carmina tot et tam gravibus inquinata versibus, ut neque interpretando neque corrigendo tolli possint, et cum sensum omnino non praebeant Horatio indigna putanda ideoque eicienda sint. Quam sententiam cum constet ita tantum refutari posse ut omnibus perlustratis et explicatis Horatii libris unicuique carmini sensum eundemque Horatio dignissimum inesse demonstres, nobis autem tanta disputatio temporis brevitate non concessa sit, in uno alterove carmine, a Peerlkampo vehementer condemnato et decurtato, quod tractandum nobis proposuimus verum, et dignum sensum inesse extrema hac commentatione probare conabimur. — Unum quidem hac in re commemoraverimus; quoniam enim P. se propterea ad illam de interpolationibus doctrinam adductum esse docet, quod intelligere nequisset nonnulla carmina, non satis modeste in hac re versatus esse videtur; satis enim apparet illum tantam sibi vindicasse auctoritatem et ingenii vim, ut neminem id vel intellexisse vel intellecturum esse persuasum habeat, quod suo ipsius acumini restiterit.

Atque cum munus Peerlkampii impugnandi susceperimus, id potissimum respiciendum videtur, quo iure ille iis quos suae sententiae auctores profert hominibus doctis usus sit. Quorum quasi princeps nominatur Marklandius cuius quae fuerit doctrina iudicium felicitas in restituendis scriptorum veterum libris magnopere laudatur; is autem Supplicibus Euripideis adnotaverat: „In Horatio post omnia quae in eum scripta vidi innumera sunt, quae non intelligo etc.“ (Peerlk. p. VII.) Attamen, quamquam Peerlk. Marklandi iudicium et elegentiam et felicitatem summis effert laudidus, contenderim, nonnulla in illius libro inveniri posse, quae minime ad hanc bonam de Marklandio opinionem confirmandam valeant. Enimvero latini sermonis elegantiam interdum desiderari aeque atque illud iudicium et restituendi felicitatem demonstraverim ex illo quod modo recitavi enuntiato et nonnullis, quas fecit in Horatii carminibus coniecturis. Latine

quidem dictum non videtur illud „post omnia quae in eum scripta vidi“ et pro illo „quae non intelligo“ et „non sentio“ coniunctionibus modo opus fuisse contenderim; neque eleganter et feliciter excogitatas esse illas coniecturas, quas ne Peerlkampius quidem secutus est, quarum ea, qua in carm. II, 2, 14, „Mors et fugacem“ mutatur in „Mors effugacem“ neque ullo modo necessaria videtur neque cuiquam usque ad id tempus interpretatorum probata est; altera, qua legitur III. 3, 54 pro „visere gestiens qua parte debacchentur ignes“ „vincere gestiens“ eiusdem generis est atque prior; tertia denique commendatur tricesimae quintae primi libri odae talis lectio qualem ad id tempus neque protulit quisquam neque probavit, cum in enuntiato illo: „te pauper ambit etc“ vox „dominam“ referatur ad „ruris“. Quibus satis demonstrasse mihi videor eadem illum qua Peerlkampium nimia sui iudicii fide adductum esse ad emendationes neque eleganter neque feliciter excogitatas. Ruhnkenius quidem in epistola sua critica postquam quibus ingenii viribus opus esset ad interpretandos veterum libros illustravit et multos multis interpolationibus libros inquinatos esse suspicatus est dolet quod nemo eruditorum hominum per tot saecula hoc invenerit vel si reppererit, dicere ausus sit. At quaestionis ubinam Horatii nomen? nonne universe de veteribus auctoribus agitur? Bentleius denique, princeps ille praecipue in Horatio interpretando criticorum, quamquam in eius editione de tantis interpolationibns nihil monitum est, affert Peerlkampio auctoritatem quandam, utpote qui probare studeat, illum de interpolationibus cogitasse quidem, sed casu non pronuntiasse. Commentarium enim Bentleianum, cum aestivis mensibus conscriptus sit, subitum esse; neque eius esse, qui primo impetu et calore oppressus explicet Horatii carmina, illas interpolationes cognoscere; propterea nullius momenti esse in hac re Bentleii iudicium. Sed mihi commentarius Bentleianus non is esse videtur, qui celeriter et subito conscriptus sit; quanta sententiarum ingeniose excogitatarum multitudo, quanta copia emendationum, quantus comparatorum et ex aliis libris sumptorum locorum numerus. Quis dubitaverit quin qui brevi tempore tot et tantas adscripserit notas, is eodem tempore de interpolationibus cogitare potuerit? Neque vero ineptum esse videtur, hoc loco rei mentionem facere, in qua Peerlkampius et Bentleius non modo non inter se consentiunt, sed etiam differunt; nam cum ille interpolationes non monachalis ingenii sed elegantiores esse contendat, hic in illa, quam fere unam statuit, interpolatione adnotavit (IV, 8, 17) „agnosco enim versum monachalis plane ingenii et coloris“. Videtur igitur Peerlkampius Bentleium eidem atque Mavortium hominum generi adscripsisse, quorum pro mente et iudicio versus elegantiores fuerint.[1]) Viri denique summo ingenii acumine instructi, quem testem et auctorem suae rationis affert, G. Hermanni enuntiatum quoddam adnotans dubito num Peerlkampius recte et prudenter egisse videatur; dicit enim ille princeps philologorum: „si quid eiusmodi est, ut indignum sit poeta tali qualem Horatium fuisse videmus, in quo cultissimus sensus venusti et acutissimum recti aptique iudicium erat, confitendum est id aut non esse ab eo scriptum aut s c r i b i n o n d e b u i s s e“; his verbis cavendum esse statuit, ne nimia Horatii admiratione permoti et quasi obcaecati in eum, quo quaecunque non prorsus digna sint poeta perfectissimo, censeamus delenda esse, incidamus errorem.

Sed hac de re hactenus. Quod quidem ad causas pertinet, quibus Peerlk. carminum libros primis post Horatii mortem temporibus multis interpolationibus corruptos esse et corruptos per tot saecula ad nostra tempora propagatos esse comprobare studet, multa sane occurrunt, quae ab illo non raro haud satis prudenter disputata esse videntur.

Iam vero non inutile putamus priusquam ad ea reicienda accedamus, nonnullas et miras res explanare, quae quamvis a re ipsa remotiores sint, tamen probant, Peerlkampium saepe incidisse in iudicia inter sese repugnantia neque ratione sumpta. Nam cum praefationis pagina VI

[1]) Praef. pg. XVIII.

dicat, singula verba probe latina esse, non video, qui huius enuntiati nexus sit aut cum alio eiusdem paginae, quo se „colorem non latinum affectatas elegantias repetitiones ineptas in Horatii carminibus observasse" profitetur aut cum illo, quo interpolationibus eiectis exortam esse orationem magis latinam laeto animo pronuntiat; quoniam, quantum ego scio, neque sermo bene vel probe vel magis latinus esse potest neque sermo qui re vera latinus est, magis latinus fieri potest; aliter nimirum res se habet de elegantia sermonis. Aeque mirum videtur, quod extrema pag. V de suo Horatii amore profert, cum beatus sibi visus sit, si illum, quem de pueritia sibi dilectissimum nominat poetam, imitatum esse alios poetas non solum dicendo sed etiam cogitando sentiendoque intellexerit. Qua denique ratione illa, quam Peerlk. cum omnibus aetatis Augusteae poetis tum Horatio tribuit, nativa venustas cum hac modo explicata imitatione consentit?

Quod quidem plurimum valuisse in corrumpendis Horatii libris Peerlkampius contendit, antiquo tempore libros non chalcographia sed manu multiplificatos esse, cum id ipsum ad omnes veterum libros quadrare neque vix quemquam eorum tantis quantis Horatium interpolationibus inquinatum esse nescius sit, hoc ei curae est, ut demonstret, quo modo haec res Horatio potissimum perniciei esse potuerit. Ac primum quidem magni in hac re momenti esse videri, quod Horatius praematura morte impeditus sit, quominus ipse omnia sua opera colligeret collectaque in lucem ederet. Attamen quid sibi velit haec dubitatio non video; nam cum omnino satis constet, relictis poetae cuiusvis carminibus ab aliis ad alium ordinem revocatis, non esse cur ipsi eorum integritati incommodum existere putes, minime hoc ad Horatium quadrare videtur; is enim ipse tres carminum libros scriptos inter tricesimum quintum et quadragesimum alterum aetatis annum edidit; quapropter hoc corruptelae et interpolationum genus ab odis librorum illorum abesse, satis perspicuum est. Quam sententiam ne illa quidem, quorum praesidio utitur Peerlkampius, vel Ciceronis vel Senecae enuntiata mutant, quoniam Ciceronianum illud „de latinis libris quo me vertam nescio; ita mendose et scribuntur et veneunt" et illud Senecae „librum quem minutioribus literis scriptum saepe proiecimus etc" neque Horatii neque interpolationum mentionem facit sed omnino mendorum, quae quantum differant ab illis vix quisquam negaverit; sunt haec eadem menda, quae Romanorum dictandi quidem more et librariorum festinatione et imperitia saepe exstitisse verisimile est, sed ipso Peerlkampio auctore a Mavortio saeculo sexto emendata sunt. Quamquam ego negaverim, ex illo dictandi more tot, quot vult Peerlk. errores profectos esse, quoniam pro certo habere possumus, auctores verba non praeiise nisi eruditis servis et ipsos, in relegendo vel recitando opere, si quid falsi irrepserit, hoc cognovisse et emendasse.

Ne cautius felicius e quidem aliae causae, quibus se probaturum esse sperat illas et antiquissimas corruptelas, causae a Peerlkampio excogitatae esse videntur; quibus tantum abest ut adducamur ad comprobandam illius sententiam, ut nova quasi arma ad impugnandam invenisse nobis videamur. Nam cum ex magna, qua apud aequales florebat auctoritate et ex omnium communi, quod tribuebatur carminibus, studio concludere velit, nullius libros magis idoneos fuisse, qui paterentur corruptelas et interpolationes, e scholis atque grammaticorum rhetorumque manibus tot illa et tantopere inquinata exemplaria profecta esse censet. Verum maxime putare debes, neque grammaticis neque rhetoribus tribui debere interpolationes; qui cum vel notis perlustrarent poetam vel sententias ex illo desumptas adhiberent ad ornandas suas declamationes nescio quo modo versati sint in poeta vel augendo vel minuendo. Immo vero quantum profuerint grammatici notandis singulorum carminum vitiis, ipse Peerlkampius profitetur.

At discipuli in scholis factitabant carmina argumentis ex Horatio sumptis; quorum quae optime imitata esse poetam visa erant, librorum Horatianorum marginibus adscripta paullo post illius mortem ipsius esse ducebantur; quod si accuratius tecum reputaveris, num censebis disci-

pulorum versus aeque elegantes atque Horatianos esse potuisse, ut virorum doctissimorum summo ingenio et iudicio instructorum velut Suetonii et Plinii observationes criticas effugerent.

Iam vero his ipsis antiquissimis temporibus Horatii carmina summum praesidium assecuta esse in exemplaribus tam late divulgatis et ad omnes translatis, equidem contenderim. Omnibus enim, si dubitarent de carminum Horatianorum integritate, facillimum erat comparatis inter se discrepantibus exemplaribus quid rectum quid Horatianum esset quid secus diiudicare. Magnum quoque, opinor, exstitit impedimentum interpolationum et vitiorum cuiusvis generis bibliothecis publicis, quarum simulatque ab Asinio Pollione prima condita est, in dies plures populo ingentem librorum eorumque correctissimorum multitudinem praebebant; in his autem Augusti et Asinii bibliothecis praecipuum locum obtinuisse Horatii libros eosque probatissimos et integerrimos ex ipsa Horatii auctoritate et ex eo, qui illius cum Augusto et Asinio erat, usu colligatur necesse est. Ita quotiescunque opus esse videbatur libri in illis bibliothecis asservati remedium omnium, si quidem quae essent, vitiorum praebebant.

Quae quanta fuerit bibliothecarum auctoritas et vis, et per se apparet et Peerlkampii verbis intelligitur, qui illarum interitum multum valuisse ad corrumpendos codices ipse profitetur. Sed si negari non potest nonnullos libros Horatii manu scriptos incendiis illis deletos esse, quis est, qui contendat omnes bibliothecas uno tempore interiisse ita ut omnis libros inter se comparandi facultas tolleretur, praesertim cum ingens Horatii carminum transscribendorum studium fuisse Peerlkampius ipse profiteatur. —

Quod vero addit „At fraudulenti homines aliena carmina Horatio supponebant“ ne id quidem probaverim; nam cum istorum hominum duplex genus cogitari possit et eorum qui avaritia et eorum qui ambitione gloriaeque cupiditate permoti ad id adducti sint, ut adulterinos versus vel carmina Horatii nomine ornata in lucem mitterent illud, quo Peerlk. bibliopolas nullo huius rei teste et auctore allato significat, genus fere nulla mentione, hoc quadam refutatione dignum videtur. Multi cum essent, qui lyrici poetae munus sibi arrogarent, concludit Peerlkampius, eos, qui non probati essent, poetas ut suis carminibus afferent auctoritatem quandam, illa Horatii nomine quasi veste purpurea induta edidisse; neque mirum videri, quod illa carmina denique vere Horatianis immixta sint. Sed multa eaque gravissima obstare videntur illi Peerlkampii sententiae; nam cum ipse dicat, versus illos non monachales, sed satis elegantes fuisse, vix credibile est, quam ob rem qui poeta versus Horatio dignos componere posset, Horatii quam suam ipsius auctoritatem augere maluerit et eam, quae suo nomini iuste tribuenda esset, gloriam alieno atque per fraudem concedi passus sit. Neque prudentes viros decipi potuisse adulterinis vel versibus vel carminibus, demonstrat exemplum Suetonii, qui epistolam elogosque Horatii nomen prae se ferentes non illius esse se intellexisse profitetur. Atque in altero, quod profert Peerlkampius Plinii testimonio nil inesse puto nisi quandam Paulli[1]) laudem, quod tam feliciter imitatus sit Horatium. Qua ex re quae tandem potest fraudis et interpolationum suspicio esse? Ita satis probatum videtur, Peerlkam. sua de interpolationibus doctrina adductum esse ad investigandas rei usque ad id tempus inauditae causas, non quod rectius videtur, iamiam exploratis illis causis de investigandis interpolationibus cogitasse; quo factum est, ut vir ille sagacissimus hoc studio agitatus, persaepe neglecto illo quo excellebat ingenii acumine progrederetur eo, ut nullus esset condemnandi modus vel terminus.

Alius Peerlkampii error anguste cohaeret cum illa sententia, cuius supra mentionem feci, de poeta omnes in partes perfectissimo; qui error, ni fallor, in falso de arte lyrica iudicio positus est. Omne enim de lyricis antiquis iudicium revocari volebat ad recentes lyricos et ad nostratium de hac re sententiam. Atqui quis negaverit, plane aliam et speciem et vim naturamque esse praesentis atque antiquae lyricae artis? Quo fatum est ut Peerlkampius cum enuntiatum

[1]) cfr. ea, quae affert W. Teuffel in Ann. Iahn. vol. 41 pg. 444.

illud: „equidem Horatium non agnosco nisi in illis ingenii monumentis quae tam apta et rotunda sunt ut nihil demere possis quin elegantiam minuas“ quasi fundamentum et principium artis suae criticae posuisset fere omnem ornatum, quo detracto poesin lyricam omnino cogitari non posse equidem persuasum habeo, deleret. Qua in re postero tempore fuerunt, qui superarent Peerlkampium — (Schatzmayer). — Id quidem constat, eos errare, qui in interpolationibus statuendis eiciendisque suam quisque elegantiam iudiciumque sequantur.

Aliis minoris momenti erroribus praetermissis iustitiae est monere, quantopere Peerlkampius grammaticae rei metricae antiquitatum scientia ipse excelluerit aliosque instituerit ita ut illius liber vel iis qui propter interpolationes infestissimi sunt Peerlkampii adversarii, magno sit usui excitetque ad Horatium magis magisque perquirendum. Valet de Peerlkampio illud saepe auditum: ex eorum virorum numero est, quorum ex erroribus plerumque vix minus discitur quam ex iis, quae recte observarunt.

Quid mirum quod simulatque Peerlk. tanta audacia integritatem Horatianorum librorum usque ad id tempus fere nulli homini dubiam suspectam habere coepit et permultos, quos quisque, nisi perpaucos exceperis, Horatianos putavit, versus eiicere ausus est, summum exortum est discrimen et eorum, qui novam sequebantur rationem et eorum, qui Horatii integritatem, quam violatam summa cum ira ferebant, defendere studebant. Neque vero praesenti tempore hoc discrimen compositum est; sunt hodie quoque, qui suae eiciendi libidini nullum vel terminum vel modum ponant; quo factum est, ut hoc discrimine non tantum quantum speraverant fructuum perciperetur, quoniam sua quisque elegantia et iudicio de pulchritudine nisus eodem quo Peerlkampius laboravit vitio.

Criticorum qui post Peerlkampium Horatii carminibus operam dederunt si magnam multitudinem perlustramus singulorumque quae sit ratio quaeque iis sit tribuenda fides quaerimus. illos potissimum commemorandos esse censemus qui quamquam ceteris in rebus Peerlkampium secuti sunt in una ab eo discedunt vel potius novam ab illo non cognitam legem animadverterunt et ad eam omnem de integritate versuum Horatianorum quaestionem revocaverunt. — Eodem fere tempore quo Peerlk. suum de Horatio librum in lucem mittebat, Meinekius et Lachmannus viri doctissimi et, quae est eorum sagacitas quodque ingenii acumen, in re critica versatissimi, ratiocinando et comparandis Horatii cum graecorum lyricorum carminibus, ad quorum formas Horatium suas redegisse odas nemo negaverit, ad id venerunt, ut pro certo haberent omnia carmina strophico ordine distribuenda quattuor cuique versus dandos esse [1]). Quorum uter prior de hac re cogitavisset, ne inter Lachmannum quidem et Meinekium ipsos satis constabat. Nam cum iis persuasum esset, compositione strophica potissimum *μέλος* veterum contineri eamque legem observatam esse a poetis lyricis graecis, quos imitatus est Horatius contenderunt omnia uno excepto Horatii carmina singulis quaternorum *κώλων* composita esse et Horatium in componendis omnibus carminibus strophicum lyricorum graecorum ordinem secutum esse. Atque ad hanc legem revocandam esse omnem de Horatii vel integritate vel corruptela quaestionem probare studebant, quam viam praeivit Lachmannus, cum carm. IV, 8 duobus versibus deletis et rectum sensum et strophicum ordinem restitueret. Discrepantes inter se de hac re Meinekii et Lachmanni sententiae minores et leviores sunt quam quae in hac disputatione explicentur [2]). — Qui adversarii huius doctrinae exstiterunt velut Eichstädt Grotefend Dillenburger Jahn Buttmann alii iis causis, quas proferebant in Meinekium Lachmannum quique ab eorum partibus stabant, probare non potuerunt, hos viros errasse. — Sunt autem hae tres causae: prima deducitur

---

[1]) Sed monere liceat, iamiam huius saeculi initio fuisse, qui duodecim illa metrum Asclepiadeum sequentia carmina strophis quaternorm versuum distribuenda esse censerent, in quorum numero ut uno exemplo utar erat Vanderbourgkius.

[2]) cfr. ea quae monuit Lachmannus in „Zeitschrift für Alterth. 1845“.

e veterum latinorum qui quidem rei metricae operam navabant, strophicae compositionis imperitia, altera e libri tertii quarto et libri quarti octavo carminibus, tertia e nonnullis carminibus, ubi finis strophae non idem est argumenti. Quod quidem ad veteres rei metricae studiosos viros pertinet, satis notum est, quantopere prudentia et iudicio huius rei caruerint, quae res demonstratur, ut uno exemplo utar, Caesi Bassi de metris libro, quo nullum melioris doctrinae apparet vestigium [1]). Carmine deinde libri tertii duodecimo, quod plerique editores quattuor strophis distribuunt, cum ionicis a min. alioquin ab Horatio non adhibitis compositum sit, nullo modo demonstrari potest, in ceteris ad stropharum formas redigendis erratum esse [2]); item res se habet de carmine libri quarti octavo, cuius de triginta quattuor versibus duos eximendos esse Lachmannus probat, postquam recte de caesura, qua Horatius post choriambum in metro asclepiadeo min. uti soleat, non adhibita monuit; nisi forte haec discrepantia posita est in singulari artis metricae tractandae ratione, qua persaepe Horatius utitur in quarto odarum libro. Quapropter nullo modo probari potest, horum duorum carminum rebus propriis regulam et normam ceteris praeberi. Quid denique Horatium movere potuit ut diligentissime eundem strophae et argumenti finem poneret, cum eius carmina hac in re differrent a graecis, quod non cani sed legi tantum et recitari Romae solebant? Accedit, quod Horatium non odas sed carmina composuisse ipsum professum esse satis constat. —

Quod si iam quaerimus, quod ex hac re commodum proficiscatur Horatio recte explicando, hoc magnum esse videtur; nam cum fere omnia carmina admittant strophicum ordinem, ii qui interpolationes Horatii carminibus inesse putant, statuant necesse est, interpolatores illam de strophica compositione legem cognovisse et exercuisse. Iam vero cum clarius luce constet et interpolationes antiquissimis temporibus tribuendas esse et primo alteroque p. Chr. n. saeculo neminem vel poetarum vel grammaticorum de compositione strophica cogitasse [3]), adducimur sine dubio ut censeamus, interpolationes omnino non fuisse.

Sed caveamus necesse est, ne alii, atque homines docti probata illa de strophis regula statuerunt. legi nimiam concedamus fidem neve quoniam una in re Horatium imitatum esse Graecos scimus, nos adduci patiamur ut diligentissimo iudicio neglecto etiam aliis in rebus eum Graecorum fuisse imitatorem accuratissimum putemus. Res autem haec est. Nam cum nemo esset, quin agnosceret summam in poesi Graeca legem esse convenientiam partium architectonicam, quam docti homines dicunt, vel congruentiam aequalitatemque membrorum, quae perspicitur ut paucis utar exemplis in Pindari carminibus, in tragoediarum non modo choris sed etiam dialogis (*στιχομυθία*) in hexametri et pentametri paribus membris velut in Theognidis strophis, fuerunt, qui secundum eandem aptam membrorum compositionem Latinorum poetarum opera temperari vellent. Ac primum quidem postquam de Tibullo Dissenius de Propertio Müllenhoffius de Vergilii eclogis Ribbekius hoc cogitaverunt Horatius studia eorum, qui rectum et aptum ordinem Graecorum instar in eo desiderabant, effugere non potuit. Quorum fere primus exstitit Schwenkius, qui annal. Jahn. tom. 70 membrorum congruentiam et aequitatem in diiudicandis Horatii carminibus magni momenti esse voluit in iis potissimum, quae propter argumentum vel linguam vel tale quid suspecta essent. Quamquam mihi quidem illae, quas spurias habet, strophae non tam indignae videntur Horatio ut deleantur. Permirum autem videtur quod primo primi libri carmine probare sibi proposuit, illam de qua agit symmetriam contineri pari stropharum numero ita ut Maecenate vocato octo strophas totidem, illas decem, tum iterum octo sequantur. Rarum sane symmetriae genus et apud graecos et apud latinos poetas quantum ego scio, non usitatum!

---

1) Uberius disseruit de hac re L. Müller in editionis praefat. pg. LIII.

2) neque inepte videtur Westphal (griech. Metrik III, 308) carmini illi quattuor strophas tribuisse, quarum quaeque continetur binis dimetris et binis trimetris ionicis.

3) conferantur, quaeso, illa, supra de Caesio Basso adnotata; poetarum hoc loco Senecam tragicum Statium Claudianum commemoraverim.

Qui illum non modo secutus est sed etiam audacia coniciendi et emendandi superavit est **Prienius**, qui epistola ad G. Curtium scripta novam de compositione strophica profert sententiam ad eamque totam de interpolationibus quaestionem revocari vult vel potius suam de hac re sententiam excogitata nova compositione probaturus est. Nam cum persuasum haberet, Horatium, quae eius esset ars atque Graecos imitandi studium, etiam ita eos secutum esse, consensum ut quendam inter argumenti et strophae terminos peteret, omnes strophas duabus paris magnitudinis partibus rarissime tribus distributas esse colligit, quas duas stropharum partes haud scio an respecta et comparata medii aevi lyricorum consuetudine adductus sit ut nominet „Aufgesang“ et „Abgesang“. Ita fit, ut Prienius, quo ille quem a Horatio usurpatum esse putat, stropharum et sententiarum nexus oriatur, nulla codicum ratione habita quaecunque illi struendi ratione resistit stropha, reiciendam et interpolatori tribuendam esse statuat. Multa quidem carmina cum quaternis vel senis constarent strophis, effugerunt perniciem; alia, quae propter imparem stropharum numerum non ferebant illam supra demonstratam structuram, cum haberent Prenii iudicio versus inelegantes vel a metrica et a grammatica et a lingua alienos, una aut pluribus strophis minuebantur; fuerunt denique, quibus cum impar quidem stropharum numerus sed ne levissima quidem reiciendi causa esset, προῳδός vel ’επῳδός vel utraque concederetur. Sed hoc quidem raro. Quod si quaeritur, quae nostra de Prenii ratione critica sit sententia, concesserim, multis in carminibus re vera apparere certam quandam structuram, quae comparari possit cum Graecorum componendi carminis lyrici ratione. Neque vero probari potest, hanc structuram Horatium pro lege habuisse, quam neglegere sibi ipse non concederet, cum ipsius Sapphus quae restant duo carmina alterum quattuor alterum septem strophis sint composita. Atque quoniam nobis probatum est, interpolationibus omnino non inquinatum esse Horatium, illis ipsis, quos Prienius spurios notavit, versibus confirmata est nostra de hac re sententia; etenim, quid erat, quaesiverim, quod quemquam movere posset, ut huc illuc unam vel duas strophas insereret vel in medio vel in extremo carmine semper opera data ut metrum et argumentum sibi responderent. Difficilis is sane et operosus labor et dubium est qua de causa interpolator permoveretur, ut eum susciperet. Idcirco ab eorum partibus steterimus, qui Prienium quidem persaepe errasse putant cum nimis suo iudicio indu geret, sed quamquam Horatium per multa carmina artificiosum stropharum ordinem secutum esse concedunt, diligenter cavent, ne hauc structuram legem fuisse putent Horatii tam severam et duram ut quae ad eam accomodari nequeant, Horatii esse negent[1]).

Eodem fere tempore, quo Prienius violentius mea quidem sententia Horatium tractabat, alius exstitit Horatii interpretator, qui quamquam interpolationibus Horatium inquinatum et carmina antistrophica ratione exstructa esse iis qui praecesserant, concedebat, tamen in illis investigandis omnem libidinem removendam esse recte censet. Est hic Martinus, vir doctissimus, qui primus in epistola ad F. Ritschelium scripta hanc viam ingressus est ita ut defendendo et explicando magis quam delendo Horatio operam daret. Defendit enim carmen libri primi primum, quod ipse antea Ritschelio auctore passim corruptum habuerat et quattuor strophis eiectis in formam antistrophicam redigere susceperat, mutata de hac re sententia idque si minus pulchrum poeta non plane indignum censet; primi autem libri carmen duodetricesimum, crucem illam criticorum, cum tribuat duabus personis verba facientibus nautae et naufrago, offenditur stropha quinta, quam Horatii non esse putat et propter ipsum argumentum et perturbatam hac stropha structuram antistrophicam. Nam cum satis appareat, illa primae strophae „te maris“ et illo sextae „me quoque“ enuntiatis ab Horatio ipso indicatum esse hunc ordinem, quintam autem duabus illis partibus insertam nullo modo ferri posse, quoniam ne μεσῳδοῦ quidem ullus sit locus, errore

[1]) Ipse Gruppius, qui licentius omnibus aliis libidini criticae indulget, Prieni emendandi rationem non probat, testimonio quam audax sit Pr. in eiciendis strophis usus libri primi oda nona (Minos pg. 396): quorum testimoniorum numerum facile augeri licet.

aliquo hanc stropham in textum irrepsisse putat. Quam Martini sententiam probaverim sed ita quidem ut maiorem delendi vim ipsi argumento quam rationi antistrophicae tribuam; vituperaverim quod Meinekii de strophis legem cum in hoc carmine ferri non posse putet, non recte excogitatam esse arbitratur. De hac re supra egimus. In illa, de qua modo disseruimus, epistola quo prudentius et diligentius Martinus se habuit eo magis mirum videtur quod paucis annis post a Peerlkampio Gruppio aliis ad illorum perversas sententias et rationes criticas adductus est. Quamquam in omnibus illius viri quaestionibus perspici potest summum viri studium sine ulla, quae istis tantopere placebat, tumultuosa et effrenata novarum in Horatio emendando rerum libidine. Sed ad singula transeamus. Permulta, ait, se invenisse carmina, quae, sive interpolationibus carerent sive inquinata essent, compositionem strophicam admitterent. Sed tantum abesse, ut hac de antistrophis sententia adduceretur ad interpolationes ubicunque statuendas ut nonnulla quae antea Meinekio et Peerlkampio auctoribus suspecta habuisset [1]) carmina in integrum restitueret neque vero negandum esse, quanti momenti esset haec antistrophica ratio ad deprehendendas interpolationes. De una re videtur hoc loco monendum; nam cum dicat Martinus, se in iis quoque carminibus, quae interpolata essent, observasse rationem antistrophicam, illos interpolatores eadem artis metricae atque Horatium scientia imbutos fuisse necesse est, quod, ut supra demonstravimus, fieri non potuit. Tum una eademque disputatione suam et de antistrophis et de interpolationibus sententiam defendere studet, dicens, mirum esse quod, si quis carmen in universum perfectissimum in singula vitiosum composuerit, illa vitia sine ullo elegantiae detrimento et structura antistrophica vel servata vel si antea non fuerit, restituta, demi possint. Atque illis omissis, quae supra de interpolationibus non statuendis dicta sunt, Horatius poeta omnibus numeris perfectus omnino non fuit, cum illius ingenii indolis, qua potissimum poeta excellat necesse esse nos putamus, phantasia admodum careret. Quo factum est, ut Horatius cum prudentiam et moderationem magis in componendis carminibus quam ingenii celeres motus exerceret, universe argumenti inventione et tractandi ratione, sententiarum dispositione et convenientia excelleret, sed proprie multa ne dicam inepte at certe non poetice dicta haberet. Huius modi igitur enuntiata nonnulla cum inveneris in Horatii carminibus, non cogitandum erit de interpolationibus. Transeamus ad id, quod monet de Meinekiana, quae dicitur, stropha quam priore anni 1856 quaestione a Martino propter interpunctionem refutatam esse scimus [2]). Ac primum quidem singulis carminibus monostichis et distichis deinceps perlustratis postquam invenit permultarum stropharum exitus cnm argumentis consentire, Horatio strophicam compositionem legem fuisse concludit cfr. pg. 24. Sed quoniam haud nescius est, satis multa esse carmina, quae quamquam raro strophae et argumenti eundem finem praebeant tamen Horatio prorsus digna videantur, pluribus et ut mihi videtur, satis remotis causis unde id factum sit comprobare studet. Dicit enim, metra Horatii e Graecis desumpta cum Romanis initio non satis cognita fuissent, in his monostichis vel distichis carminibus, quo melius intelligerentur strophae, opus fuisse illa distinctione, simulatque adsuevissent Romani iis metris, Horatio liberiorem rationem adhibere licuisse. Quae igitur carmina plurimas habent strophas eodem argumenti et formae fine terminatas, antiquissima sint necesse est. Attamen cum Horatius, priusquam carmina composuit, edidisset epodon librum cuius monosticha et disticha metra strophica compositione uti satis constat, Romanis satis cognita erant haec metra ita ut ad ea cognoscenda distinctione illa opus non esset [3]).

---

[1]) Atque hoc loco Martinus hac in re erravit, quod nonnulla Horatii carmina cum decantata esse putaret, non satis recte de Romanorum moribus cogitavit.

[2]) De hac re aegre fero, quod alteram Martini anni 1860 disputationem, qua uberius de hac re egisse dicitur, inspicere non potui.

[3]) Comparamus exempli causa duo carmina, quorum prius I, 19 quod totum habet stropharum distinctionem multo antiquius Martini conclusione esse debuit quam alterum III 24, quod septem habet strophas non impari formae et argumenti fine; res autem aliter se habet, cum secundum Frankii fastos Horatianos carm. I, 19 ortum sit anno a. Chr. n. vicesimo quinto; III, 24 anno undetricesimo.

Quae nostra de hac re sententia sit, iam supra explicavimus, ubi vidimus, Horatio nullam causam fuisse, cur congruentiam inter stropham et argumentum tam accurate servare deberet. Postremo Martinus nihil profecisse videtur sua de Meinekiana stropha sententia cum ea quam se invenisse putat lex parvi momenti esse videtur ad interpolationes certius deprehendendas propter illa quae modo diximus. Sed caveant homines, cum videant nos communiter interpolationum singulatim Martini sententiarum adversarios, eodem iure nos ordinem antistrophicum contemnere putent. De strophica compositione hactenus [1]).

Iam vero respiciamus deinceps eorum virorum studia qui inde ab Hofmanno-Peerlkampio in crisi Horatiana versati carmina ediderunt et videamus, quam quisque secutus sit rationem. Neque vero longa opus erit disputatione; quod cum in praecedentibus uberius explicatum sit quibus causis inductus sit Peerlk. ad suam emendandi rationem iamiam posteriorum omnes fere rationes et viae indicatae sunt et cum ipso Peerlkampio asseclae quoque refutati sunt. Fere idem valet in iis diiudicandis qui Peerlkampii sententias refellendi periculum susceperunt; quapropter in hac re summa brevitate uti licet. — Ac primum quidem de Gruppii qui Minos inscribitur libro paucis disserendum videtur; qui quamquam Peerlkampii vehementer probat rationem criticam eumque in interpolationibus earumque fontibus [2]) statuendis auctorem habet, tamen duabus potissimum rebus ab illo discedit, quod et medicinam carminibus a Peerlkampio in suspicionem quidem vocatis sed in formam aptam et poeta dignam non restitutis se attulisse profitetur et quod Meinekiana stropha cognita instrumento quasi artis criticae illum superat. Nihilominus Gruppius viris doctis minus probatus et acceptus est quam ille et recte quidem. nam etiamsi Teuffelium [3]) secuti Gruppio maiorem elegantiae et pulchritudinis sensum tribuamus, quam Peerlkampio, tamen certe in illo non valet illud „est ex eorum virorum numero quorum ex erroribus plerumque vix minus discas quam ex iis quae recte observarunt." Dum enim Peerlkampii sive eius artem criticam probas sive reprehendis semper laudanda est grammatices scientia, Gruppius rarissime suarum Horatii emendationum vel fontem vel praesidium habet in observationibus grammaticis et comparatis aliorum poetarum enuntiatis sed in omnibus et eiciendis et restituendis suo iudicio quasi duce certissimo utitur. Quae nostra de Gruppio sententia quoniam multorum et doctissimorum virorum consensu comprobata est, non eget pluribus verbis, quibus confirmetur, praesertim cum in illustrandis infra duobus carminibus non possimus non passim respicere Gruppii emendationes. Novorum criticorum proxime affines sunt Gruppio Linkerus et Lehrsius qui cum consentiant de interpolationibus multis statuendis ita ut suo quisque recti et pulchri iudicio quam codicum auctoritati fidem tribuere malit, non modo singulas strophas sed etiam odas delendas esse censent. Et sane dicere licet Lehrsium delendi arbitrario iudicio longe superasse Linkerum, qui suae artis criticae rationem ita describit: „his verbis ita comparatis cum novae editionis munus suscepissem, recensionem ab Hauptio institutam a Meinekio recognitam ita pro fundamento habuisse par est, ut illorum vestigia quam certissime persequerer." „Tum neque impetrare a me potui quin clarissimo eidem viro illud concederem, quod interpolationis genus in Horatii carminibus aliquando latius patere censuit quam plerumque opinantur." —

Ex magno eorum numero, qui cum fere idem de interpolationibus cogitarent, similem emendandi rationem secuti sunt, pauci digni videntur, qui hoc loco accuratius tractentur. Nam cum fere omnes huius generis critici consentiant in emendandi ratione, differant de magno vel

---

1) Uberius tractaverunt de hac re, Schwenk, annal. phil., Meineke annal. Jahn. 42, 285. Grotefend, Philol. V, 141 (1850) Prien; Museum Rhen. XIII, 321. (1858) Kirchhoff, Annal. Mützel. XII 717—740.

2) Ne levius hac in re versatus videar, monendum est Gruppium interpolationum originem fere totam e bibliopolarum avaritia deducendam esse censere; quae sententia quam artificiose excogitata sit et quantopere abhorreat a vero, supra demonstravimus, neque immemor sum illius argumenti, quod novum attulit Gruppius, quo suam vel potius Peerlkampii auctoritatem confirmet.

3) Teuffel, progr. Tub. 1868.

parvo, quem statuunt, interpolationum numero, quid est quod nos inducere possit, ut iis eandem atque Peerlkampio Prienio Martino tribuamus curam? Maxime hoc valet de iis, qui passim in Horatio emendando versati nonnullis carminibus urendo secando medicinam se adhibuisse putabant sed non omnibus Horatii carminibus editis quid sentirent de interpolationibus, dilucide demonstrabant. Sunt autem hi Lachmannus Ellendtius Bernhardyus alii quorum si quis studia accuratius cognoscere velit, Gruppii docebitur libro, qui vel diligentissime omnium eorum nominibus qui florent auctoritate apud homines doctos quasi scuto et praesidio usus est. —

Omnes quos modo enumeravimus critici cum codicibus parvam vel nullam fidem auctoritatemque tribuerent et ubicunque de interpolationibus suspicarentur et necessitate subveniendi et medendi cognita medicinam tantum ex sua quisque mente afferre vellent, quantopere in errores incidissent in iis quae supra demonstrata sunt satis explicasse mihi videor.

Restat, ut de iis breviter disseramus, qui Horatii ab illis adversariis defendendi munus susceperint. Atque hoc loco e re esse videtur, ut quasi aditum faciamus ex illis obtrectatoribus ad Horatianorum carminum defensores, nonnullos commemorare, qui quamvis de interpolationibus cogitent, tamen non ad id se induci patiantur, ut codicum auctoritatem plane neglegant. Sunt hi Hauptius Paulyus Müllerus, quorum primus nonnullis quidem strophis in suspicionem vocatis in iis quae rem causamque maxime continent, Bentleii textum sequitur neque a Blandinio vetusissimo sine summa necessitate discedendum iudicat, alter praeter Blandinium illum paucos ex ingenti codicum turba eligendos esse, quos sequatur; ubi autem illi rectum et dignum sensum non praebeant, tum demum medicinam aliunde petitam esse adhibendam statuit; tertius denique Lucianus Müllerus, vir doctissimus, qui in editione sua Horatiana cum de metrica uberrime et sapientissime egit tum de interpolationibus pauca attulit, maximam partem se a Meinekii partibus stare et omnem temeritatem ab illa de interpolationibus quaestione segregandam esse profitetur. Quae illius sententia, si conferas quod insertum est annal. phil. a. 1868, confirmatur nonnullis scite et prudenter dictis; refutata eorum, qui totas odas suspectas habent, sententia strophas, ubi plurimum, duodecim spurias esse concedit, cum eos errare persuasum habeat, qui poetam vel perfectissimum putent aut fraudulentis hominum animis tot interpolationes tribuant. —

Atque in his etiam, qui Horatii carminum integritatem defendendam subierunt et ad interpretandas, ut se habent, odas fere omne studium revocaverunt, exstitit crimen hand leve de singulorum codicum quae iis tribuenda sit fide et auctoritate, quoniam, ut iam supra demonstravimus, alii aliis libris principatum concedunt. Quamquam enim fuerunt, qui doctissime de codicum genere et auctoritate et stirpe agerent – quorum in numero Kirchnerus optime meritus esse videtur — ipsis nostris temporibus codices inter sese comparantur comparatisque sua cuique auctoritas tribuitur. Neque vero tanti momenti esse videtur hoc discrimen, cum in eo quod rem causamque maxime continet consentire codices, differre singulis iisque levibus rebus velut orthographia interpungendi ratione carminum ordine satis constat.

Iam vero, si quaerimus inter Perlkampii adversarios cui tandem palma sit concedenda, Orellius dignissimus videtur, qui omnibus praeponatur. Neque hoc mirum. Nam cum Peerlk. omnes fere aequales non minus emendandi audacia quam grammaticae rei metricae antiquitatum scientia superaret, is tantum idoneus erat qui in doctrina tam nova prospere procederet. Iisdem virtutibus se instructum esse Orellius satis demo[illegible]avit editione sua Horatiana, quae primum in lucem prodiit Turici anno h. s. tricesimo septim[illegible] 1842, denique Baitero quidem recensente sed paucis mutatis 1850. — Primum quidem e[illegible]ac re, quod novos et ad id tempus fere ignotos libros manu scriptos Horatio recense[illegible]bat ita ut carminum integritatem novis et firmis praesidiis confirmaret. Sunt hi codd[illegible]N. 363) B.[1]) qui a monacho Scotico

[1]) Quid adnotaverit Kirchnerus de illo codic[illegible]llius eo usus sit, vide in programmate, quod inscribitur: novae quaestiones Horat[illegible]

scriptus esse dicitur; Bernensis (Nr. 21) saec. X. (b. β secundum Kirchnerum notatus); Sangallensis. saec. X. (s); secundum Kellerum σ); Turicensis saec. X. (T); denique Bernensis N. 542 saec. X. (c). Neque vero lectionibus horum quinque codicum collatis Orellius satis fecisse ratus alios neglexit sed integras Lambini Crucquii Torrentii attulit varietates, aliorum et codicum et criticorum siquidem mentione dignae viderentur lectiones adnotavid, ipsas Bentleii et Meinekii suspiciones protulit ita ut perfectissimus omnibus numeris apparatus criticus, qui dicitur, perfectus esset Orelliana editione [1]). Quo modo postquam vel firmissimum posuit quasi fundamentum Horatii, in ipso interpretando tres potissimum secutus est rationes, primum cum nullas praeter duas admitteret coniectures tum omnium priorum interpretatorum notis perlustratis quae scite et apte dicta viderentur omnia adnotaret, denique crebrius quam alii insereret locos similes hoc consilio, ut adolescentibus Horatio operam daturis et viris, qui aliis officiis districti interdum poetam legerent, librum quam commodissimum praeberet. Respondere quoque illi, quem profert, fini videtur, quod omnibus rixis et tam pervulgato cum aliis digladiandi et depugnandi studio abstinet. Quanta autem cura interpretandi munus susceperit, non solum apparet adnotationibus tot et tanto cum labore conscriptis sed etiam excursibus, qui dicuntur, additis quibus difficiliores versus uberius explicentur. Itaque nescio num quisquam dignior sit summa omnium laude quam Orellius. — Attamen una est res, qua, quantum ego scio, ab aliis Horatii interpretatoribus superatur; cum singulis quidem explicandis multo maiorem navaverit operam quam investigando totius carminis argumento et exhibendae rationi poeticae.

Aliorum, qui eodem fere tempore in Horatio recensendo versati sunt, criticorum quamquam alii aliam viam et rationem in arte critica sequebantur, tamen in eo consentiunt, quod omnes Peerlkampium refellendum sibi proposuerunt. Praetermissis silentio, ne longius producatur disputatio, Moseri Bernhardyi Obbarii Eichstädii Reinii de hac re sententiis quomodo Jahnius Peerlkampio operam dari voluerit, commemorare iuvat; etenim duplicem illius diiudicandi rationem commendat, aut ut errores qui sint Peerlkampii explicentur aut ut illius de grammatica re metrica antiquitatibus recte cogitata colligantur collectaque in legum formas redigantur; quarum rationum hanc nemo, illam fere unus secutus est, si exceperis nonnullos magis suae ipsorum rationis defendendae quam Peerlkampii sine ira impugnandi studiosos. Lübkerus est qui in commentario suo odarum, excepto libro quarto, Orellio auctore carminum integritatem a Peerlkampio defensurus id agit, ut ostendat et quae pericula ex illa interpretandi consuetudine quae omnia ad suum cuiusque de pulchritudine et elegantia iudicium referat, proficiscantur necesse sit et quam minus persaepe odae a Peerlkampio amputatae verum et pulchrum sensum praebeant; errare deinde eos, qui cum nimiam auctoritatem tribuant formis et strophis, novum secundum hanc rationem librorum ordinem instaurare velint et qui multa Horatiana a rerum veritate avocata ad obscuram quandam imaginum similitudinem transferant. Atque iure quidem. Neque minore dignus videtur laude, quod multas et scite cogitatas de grammatica quaestiones inseruit commentario et illis, quae alii in Peerlkampium iactare solebant, conviciis abstinuit.

---

[1]) Quod quidem maxime valet de editione tertia, Baiteri cura recognita. —

Exili scholae aerario prohibeor, qu[illegible]us plura addam; quam rem eo aegrius fero, quod parvulis mihi concessis finibus null[illegible] exitum operis in lucem proferre potui; sed tempora fortasse incident, ut altera part[illegible] ea, quae hoc libello desiderantur.